

fraudis convictus est et ilico ^{a)} cum uxore morte subita dampnatus ^{b)}. Nota quod dicitur: Qui de suis fraudem fecit, morte dampnatus ^{c)} est. Si ergo ille morte dampnatus ^{c)} est, qui de propriis fraudem fecit, quid illi passuri sunt, qui non ea quę dederint repetunt, sed quę alii ^{d)} pro remedio animarum suarum contulerunt, invadunt ^{e)}?

Eutitius. Qui invadit invasor, qui usurpat usurpator dicitur. Talibus autem leges divinas atque humanas resistere manifestum est. Quomodo autem his ^{f)}, qui ab ^{g)} episcopo donum aliquod ex aliquibus rebus ecclesię percepit, invasor vel usurpator dicitur? Ecce tu cum sis episcopus, si aliqua proximis vel amicis tuis ex rebus ecclesię largitus es, nunquid hi invasisse dicentur?

Theophilus. Ex iniusto dono nulla iusta retentio. Sunt autem divisa quę episcopus dare potest et quę non debet: ex his quę dare potest iustum dicimus donum, ex his quę non debet iniustum.

Eutitius. Ita mihi videtur.

Theophilus. Non tibi soli, sed omni recte sapienti ita videntum est.

Eutitius. Rogo ergo te, ut distinguas quę danda sunt et quę non danda.

Theophilus. Non hoc verbis meis distinguendum est, sed eorum canonibus, de quibus locuti sumus, apostolorum ^{h)} et qui eos recto calle persecuti sunt. Sic ergo in canonibus apostolorum capitulo tricesimo ⁱ⁾ nono scriptum est ¹⁾: Non liceat episcopo ex his aliquid contingere omnino aut parentibus propriis, quę Dei sunt, condonare ²⁾ nec eorum occasione ecclesię negotia depredetur.

Eutitius. Omnia quęcumque ^{k)} sunt, Dei sunt; quomodo ergo dicitur, ut aliquid ex his quę Dei sunt, episcopo non liceat contingere vel propriis parentibus condonare? Certe cotidianus ^{l)} victus ex his est quę Dei sunt: prohibetur ^{m)} ergo cotidianus ⁿ⁾ victus ab episcopo contingi vel propriis parentibus denegari ^{o)}, qui iubetur episcopi manibus etiam pauperibus tradi?

a) illico C. b) damnatus C; in B folgt: est. c) damnatus C. d) aus alli korr. B. e) invadere B. f) is C. g) a A. h) app(osto)lor(um) B. i) trigesimo B. k) que über der Zeile nachgetragen A. l) aus cotidianis korr. A; quotidianus C. m) h über der Zeile nachgetragen A. n) quotidianus C. o) so ABC; sinngemäß wäre in Parallele zum Vorhergehenden: condonari.

¹⁾ Mansi, Coll. conc. I, col. 55; Decretal. Pseudoisid. ed. Hinschius S. 29 (D).

²⁾ In den Canones folgt hier: Quod si pauperes sunt, tanquam pauperibus subministret (D).